

21
M

52

EXERCITIA ORATORIA

De
CAROLI V. IMP.

Virtute & Fortunâ,

ad diem XIX. Martii.

L. M. Q.

indicit

CHRISTOPHORUS COLERUS

Historiarum Professor.



Vratislavia, Typis GEORGI BAUMANNI.

550862



L. S.



Lorus, floridissimus Rerum Romanarum

Scriptor, super clade Bruti & Cassii, quos Tacitus ob studium asserenda libertatis avita, ultimos Romanorum ap-

pellat, miserabiliter exclamat, his conceptis verbis: Quanto efficacior est, fortuna quam virtus! quam verum est, quod moriens, Cassius efflavit: Non in re sed in verbo tantum

lib: 47. esse virtutem! Dio etiam recitasse Brutum Hercules quoddam di-
extrem. etum refert tali sensu verborum: O infelix virtus! itanè, cum nihil quam nomen inanè esses, ego te tanquam rem aliquam exercui, cum tu fortunæ servieris. Volumnius verò aquid Plutarchum versum, à Bruto sibi manus consciscente pronunciatum, ex-
sidisse memoria sua testatur: quem Alciatus Ictus, in Emblematis ita refingere conatus est.

Jam jam stricturus moribunda in pectora ferrum,

Audaci hos Brutus protulit ore sonos.

Infelix virtus, & solis provida verbis,

Fortunam in rebus, cur sequeris Dominam?

Unde Verum interdum est: homines non sapientia sed fortuna regi! & plerosq; homines majore fortuna, quam sapientia existere, ut judicat Pompejus apud Sallustium. Consilia certè Darij, teste Curtio, destinata salubriter et disposita prudenter contra Alexandrum omni ratione potentior Fortuna discussit. Sed Alexander hoc astro fuit, ut ei ad tantam potentia amplitudinem & gloriam & ad res maximas benè gerendas felicitas divinitus adjuncta: ejusq; opera quidem virtutis magna, sed majora fortuna videantur. Verum ut parum virtus sine fortuna effecerit, ita parum quoq; fortuna sine virtute. Quàm obrem pullos suos Fortuna, quibus initio blandissimè adspiravit, vel
fatigata



fatigata ad ultimum destituit, & quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriozem casum reservat. Exempla in historiis obvia sunt. Qui verò virtute duce, & comite Fortuna omnes res actionesq; aggredi solent, eis omnia lata, candida, & rata sunt. Talis fuit Carolus V. Imp. à multis retrò seculis maximus, ad cujus constituendum Imperium ut de Pop. Rom. magnitudine Florus scribit, superiori seculo contendisse, Virtus & Fortuna visa sunt. Sola enim virtute & propriis moribus Imperator ille sapientissimus & optimus fortunam adspirante divini Numinis gratia sibi finxit & conciliavit. Nam cum tanto impetu virtute duce ad altissima contenderet, fortuna indulgentia ejusdem consilia & actiones direxit, juvit, & erexit: adè ut, quod Tacitus de Romanis populorum principe affirmavit, id nos de Carolo Principum principe asserere non dubitemus, ejus virtuti perpetuò affuisse fortunam. Singulare autem hac in re apparet argumentum divina dispositionis, quod Carolus V. in ea tempora incidere, quibus tota Europa mutuis dissidiis, simultatibus, odiis ac bellis fessa pessum ivisset, nisi Virtus & Fortuna Carolina impetum & minas Soleimanni Turcarum Tyranni repressisset, & Francisci I. Regis Galliarum consilia & Conatus, ut Lipsiano verbo utar, interpellasset. Quemadmodum verò dies alii fasti, alii nefasti sunt; ita Carolo V. Imperatori Sextus Kalendarum Martij nuperrimè elapsus, in fastis B. Matthia Apostolo festus, candidus ac singulariter faustus illuxit. Eo enim die Imperator natus est: Franciscum I. Regem Galliarum ad Ticinum cepit: Bonna à Clemente VII. Pont. Max. coronatus est: ipse Ferdinandum Fratrem Aquigrani in Regem Romanorum inaugurarari curavit: Mauritium Saxonia Ducem in Septemvirale Electorum Collegium Solemnissimo ritu Augusta adoptavit: & tandem Francofurti Imperatoriam dignitatem per Legatos suos ejuravit, & omne jus in Fratrem Regem Romanorum transtulit: qui ibidem postea XV. Kal. April. Imp. creatus est. Sed quod Sallustius de Carthagine olim dixit, nos meliori jure de Carolo V. usurpare possumus: Melius esse silere, quam pauca de eo dicere. Quare desino, & Thuanii, principis nostra aetate Historicorum judicio quasi gemmâ laudes incomparabilis Monarchæ, ob signo, qui ita eum ex vero describit:

Præfat.

In eo

In eo principe cum Virtute certavit fortuna, ut illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Neq; verò ullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi principis exemplar nostra & retrò seculorum memoria reperiri posse arbitror, quod jis, qui ad imperium virtutis viâ grafsantur, ad imitandum proponi queat. Nam quid ei ad summam utriusq; laudem defuit? sive ingenium & prudentiâ in consiliis spectes, sive constantiam in adversis, in prosperis moderationem, præsentiam animi in periculis, temperantiam, & quæ omnium in Principe Virtutum culmen ac cumulus est, justitiam? Vita ejus, ferè jam à primis pueritiæ initiis seria fuit, maximis negotiis et variis expeditionibus exercitata, atq; in ipso præcipuum pietatis studium, fuisse, postquam ad imperium evectus est, citra adulationem dicere possumus; eoq; omnia fermè, quæ ille, pace, & bello fecit, referri debere: nimirum, ut concilium legitimum celebraretur, & per illud concordia in Ecclesia sarciretur; quod sive Pontificum in eo negotio non bonâ fide versantium ambitione, sive ob bella nostra toties infeliciter renovata impeditum fuit, semper ab eo postcâ repetitum est: ut mirari nemo debeat, illius consilia, dicta ac facta præsentis Numinis auxilio usq; illustrata fuisse, qui tam sanctum propositum habuerit. Et verò qui ita se tota vita gesserit, ad pietatem & justitiam semper collimaverit, & his virtutibus suo exemplo innutritis Consiliariis subnixum, imperium filio reli-

querit,

querit, mirum, nisi eandem felicitatem, quam in vita expertus est, in familia tam egregiis virtutum documentis instructa propagaverit.

Hac Gallus ille liberè & candidè, more suo.

Qua cum tam rara & inusitata Virtutis & Fortuna monumenta in Historiis & vitis Caroli V. Imp. à diversis diversè scriptis observassem, opera pretium me facturum putàram, si prætextatis Gymnasii nostri adolescentibus & bonæ mentis alumnis in spem Patriæ & publici boni educandis autor & suasor forem, ut Diatribas aliquot Virtutis & Fortunæ Carolinæ, forma Declamationum, exercendo stilo, & formando aliquo pro captu ætatis in scientia politicâ judicio, publico Gymnasii theatro exhiberent: qui etiam, quo sunt amore recti, qua cupiditate laudis ac gloria honesta, specimen industria publicè edituri alacriè paruerunt. Nunc verò, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Clarissimi, Humanissimi Viri, qui hætenus principum Virorum veteris ævi exemplo, Gymnasium nostrum, qua estis Humanitate & facilitate, clarè illustris præsentia vestra luce illustrastis, & tam benigna favoris aurâ palæstris bonæ mentis animastis, toti Gymnasii & meo Declamatorum nomine, ea qua par est demissione observantia & studio, vos invito; ut ad crastinum Jovis diem mane hora VIII & à prandio hora I. lubentes conveniatis, nec modò audiendis vestris olim successoribus, calcæ & stimulos ad majora enitendi addatis, sed etiam quorundam εὐσεβῶνδ' ἰοῦ Parentibus, quos præsentis per publica munia fore speramus, de illa εὐεχία & magna liberorum suorum spe, gaudia paterna, tacito quasi judicii vestri suffragio, confirmetis, vel augeatis. In quibus Adolescentibus indicium bonæ indolis & virtutum elucet, quod omnia ad modestiæ normam componant; præcipuam arbitrantur prudentiam, alios ut prudentiores sequi: præcipuam eruditionem, discere velle. Quod si illi, ut speramus, in hac palæstra rectè & erectè mentis, ita perrexerint, certus sum Parentibus ipsis & fautoribus eorum augur, illos olim ratione cum annis suffragante ad altam illam Virtutem &

tem & Prudentiam, quibus adjuvicibus, vos, Patres Patriæ, clau-
 rum Reipubl: tenetis, magis magisque, assurrecturos, & vosmetipsos
 olim in navi patriæ publicæ feliciter repræsentaturos. Hoc vobis &
 patriæ nunc spondent & olim præstabunt nostris votis exorata supremi
 Numinis indulgentia, recta institutio, industria Liberorum perpetua,
 & Parentum seria educandi eos ad commune Patriæ & Posteritatis
 bonum cura: quam talem habituri sumus, qualem nunc juventutem
 educamus & formamus. Vratislavia P.P. XVII. Martij A.C.
 1638. xxxviii.



Series & Ordo Delcamatorum talis esto.
 Horis matutinis.

Adamus Wenceslaus Reichel Prologi partes sustinens pauca de
 diebus fastis & nefastiis præfabitur.

Caspar Abshelm Vratislaviensis {prosa} Oratione Caroli V.
 Godofredus Lenzius Lignicensis {versa} Imp. Natalem laudabunt.

Esaias Major Vratislaviensis Prosopopœia quadam ipsum
 Carolum V. de virtute in genere apud Electores discretam pro
 virili quidem representabit.

Elias Mihmerus Glogoviensis Prudentiam Caroli V. commendabit.
 Ferdinandus Obelachherr Vratislav: Epilogi vices obiens gratias
 Auditorio aget.

Horis pomeridianis.

Sigismundus Reinhardus à Pein Prologi munia suscipiens quadam
 in Genere de Pacis & belli Artibus præfabitur.

Wolfgangus Gabriel à Pein	{Fortitudinem	} Caroli V. Imper. extollent.
Caspar Antonius John	{Lenitudinem consilii & celeritatem executionis	
Jochimus Profius, Javorensis	{Clementiam	
Nicolaus Vogt	{Modestiam	

Johannes Friedericus Sölckel	{Liberalitatem
Sigismundus ab Heidenbrant	{Pietatē in vita & Morte}

Michael Flandrin	{Apophthegmata illustriora	} Caroli V. Imp. recitabunt.
Caspar Antonius Mingius	{Similitudines à Sole & Luna petitas	

Christianus Sölckel Epilogi Munus obtens de Symbolo Caroli V
 PLUS ULTRA aliquid dicet, & simul Auditorio gratias o .



